Item, quia sentencia [7]) debet ferri in scriptis, de hoc etiam secundum quod scripsero inferius faciat notarius mencionem. debent enim in sentencia contineri verba [8]) condempnatoria uel absolutoria seu equipollencia. et [9]) hoc magis a pericia iudicis quam a discrecione [10]) notarii requirendum est.

b. Forma sentencie diffinitiue late per iudicem delegatum.

In nomine domini amen.

Dudum inter P actorem ex parte vna et R reum clericos [11]) ex altera super canonicatu et prebenda ecclesie conmaculensis [12]) que vacare dicuntur per mortem G eiusdem ecclesie canonici [13]) orta materia questionis, et coram venerabili domino A bononiensi episcopo [14]) diucius agitata, idem dominus episcopus contra prefatum R diffinitiuam tulit [15]) sentenciam. a qua pro parte ipsius R fuit ad sedem apostolicam appellatum.

Cuius appellacionis causam sanctissimus pater noster dominus M papa iiii nobis magistro Symoni archydiacono bononiensi [16]) duxit per suas litteras committendam.

Postque [17]) conparentibus in iudicio coram nobis

1) In B fehlt *notario.*
2) B hat blos: *de sentenciis.*
3) In A fehlt *sit.*
4) B: *persona.*
5) Von hier an bis *sentencia* einschliesslich ist in A ausgefallen.
6) Cod. *cessione.*
7) B fügt noch *diffinitiua* bei.
8) In A fehlt *verba.*
9) B: *set.*
10) B: *descripcione.*
11) In B fehlt *clericos.*
12) B: *ecclesie talis.*
13) B: *condam canonici.*
14) B: *venerabili patre domino tali etc.*
15) B: *protulit.*
16) P: *pater etc. vobis magistro. G. de . . etc.*
17) B hat blos: *post.*

partibus suprascriptis,[1]) prefatus P eidem R libellum obtulit tenoris et continencie infrascripte: *coram vobis venerabili viro domino archydiacono Symone Bononie,*[2]) *domini pape iudice delegato, dicit et proponit P etc. ponatur tenor tocius libelli. demum dicatur sic:*

Super quo quidem libello per iam dictum P ex vna parte et Iacobum de . . procuratorem dicti R procuratorio nomine pro eo ex altera[3]) litis contestacione facta legittime, et per vtrumque ipsorum iuramento calumpnie ac de veritate dicenda sollempniter prestito coram nobis, exhibitis hinc inde posicionibus, et ad eas responsionibus subsecutis,[4]) datisque ab vtraque parte articulis, et super ipsis productis testibus et instrumentis quam pluribus, et ipsis testibus examinatis sollempniter, ac postmodum de voluntate earundem[5]) parcium publicatis, eedem partes — aliis probacionibus omnibus in posterum faciendis renunciantes — in ipsa causa sponte ac voluntarie[6]) concluserunt.

Nos itaque, visis ac diligenter inspectis libello,[7]) posicionibus ac responsionibus ad easdem, instrumentis et attestacionibus testium predictorum, terminis et aliis omnibus et singulis inter ipsas partes factis et habitis coram nobis,[8]) ac etiam visis ac consideratis ac diligenter auditis vtriusque partis iuribus et allegacionibus quas ipse partes[9]) ostendere allegare et dare in scriptis uel oretenus[10]) dicere volunt, et super hiis omnibus habito quam plurimorum peritorum consilio, et nobiscum deliberacione,[11]) solum deum pre oculis habentes, et eius nomine inuocato, auctoritate domini pape qua fungimur in hac parte in[12]) scriptis sentencialiter diffinimus et diffiniendo pronunciamus et sentenciamus, appellacionem predictam pro parte dicti R interpositam iustam ac legittimam esse, ipsam sentenciam a prefato domino episcopo latam et quidquid ob eam[13]) uel ex ea factum est irritantes quod nullius est valoris[14]) atque momenti, ac nostra sentencia decernentes — *uel*[15]) *sic:* pronunciamus et sentenciamus, bene appellatum esse per R

1) B: *supradictis.*
2) B: *viro magistro etc.*
3) B: *nomine ex eo.*
4) B: *coram vobis exhibitis etiam hinc inde posicionibus subsequtis responsionibus.*
5) In B fehlt *earundem.*
6) B: *voluntate.*
7) B: *libellis.*
8) B: *vobis.*
9) In B fehlt *quas ipse partes.*
10) B: *uel ac tenus.*
11) B fügt noch *sollempni* bei.
12) In A fehlt *in.*
13) B: *ab ea.*
14) B: *irritantes et nullius valoris.*
15) A: *et.*

predictum, et male iudicatum, sentenciam ipsam [1]) etc. *ut supra. uel* [2]) *sic:* pronunciamus et sentenciamus, pro parte dicti R male appellatum esse, et per dictum dominum episcopum [3]) bene iudicatum, sentenciam ipsam per dictum dominum episcopum [4]) latam et quidquid ob eam [5]) uel ex ea secutum est hac nostra sentencia confirmantes [6]) — presentibus P et I predictis procuratoribus in termino sibi dato ad hanc sentenciam audiendam, necnon instanter petentibus sentenciam ipsam ferri.

Lata et pronunciata fuit ipsa sentencia per ipsum dominum Symonem archydiaconum bononiensem suprascriptum [7]) pro tribunali sedentem, in tali loco, presentibus talibus testibus, anno domini etc.

c. Sentencia arbitri seu arbitratoris.

In nomine domini amen.

Nos Albertus Iacobus de . . arbitri et arbitratores [8]) et amicabiles conpositores assumpti conmuniter et concorditer a P de Bononia [9]) ex vna parte et R de .. ex altera super lite et controuersia que vertebatur seu verti sperabatur inter ipsos super canonicatu et prebenda ecclesie [10]) vitterbinensis, [11]) prout in instrumento [12]) conpromissi per ipsas partes in nos facti clarissime continetur, visis peticionibus vtriusque partis, et auditis et intellectis diligenter [13]) ea que nobis in scriptis uel oretenus dicere voluerunt, et super hiis omnibus conmunicato [14]) consilio peritorum — *uel* plurium [15]) sapientum — ac vtriusque partis inuestigata ac cognita voluntate, sollempnique per nos deliberacione prehabita, ex vigore dicti conpromissi in nos facti, dei nomine inuocato, pro bono pacis et concordie inter eos habende perpetuo laudamus arbitramur pronunciamus dicimus ac mandamus, dictum [16]) R desistere ab inquietacione et molestacione [17]) quam faciebat prefato P super canonicatu et prebenda prefatis, eidem R super ipsis cano-

1) B: *per dictum iudicem in ipsa sentencia.*
2) A: *et.*
3) B: *dictum iudicem.*
4) B: *per primum iudicem.*
5) B: *ab ea.*
6) In B fehlt *confirmantes.*
7) B: *per secundum iudicem.*
8) B: *Albertus. Iacobus. et Matheus arbitri arbitratores.*
9) In B fehlt *Bononia.*
10) A: *et ecclesiam.*
11) B: *talis.*
12) A: *prout institucio.*
13) B: *intellectis et diligenter consideratis racionibus et allegacionibus.*
14) B: *congregato.*
15) In B fehlt *peritorum uel plurium.*
16) B: *predictum.*
17) B: *a citacione et molestia.*

nicatu et prebenda et eorum iuribus omnibus perpetuum silencium inponentes.

Et ex aduerso laudamus arbitramur dicimus [1]). et sentenciamus, eum P dare predicto [2]) R l marcas bonorum et legalium sterelinorum, xiii [3]) solidis et iiii denariis pro qualibet marca conputatis, [4]) hinc ad festum sancti Michaelis proxime venturum, [5]) pro redempcione inquietacionis et molestacionis predicte.

De [6]) quibus l marcis dicto termino persoluendis dictus [7]) P iam dicto R hinc ad tres dies proximo venturos ydoneam sibi [8]) faciet caucionem, idemque R statim — habita caucione predicta — renunciat [9]) omni iuri si quod habet uel habere sperat uel [10]) possit in canonicatu et prebenda predictis ad sensum aduocatorum et sapientum dicti P.

Que [11]) omnia et singula hinc inde fieri seruari et adimpleri laudamus dicimus et arbitramur atque mandamus sub pena in conpromisso contenta, in singulis et pro singulis capitulis huiusmodi laudi et conpromissi predicti soluenda, que pena tociens exigi posset quociens in predictis et predictorum aliquo fuerit contra factum, et reseruata nobis nichilominus potestate declarandi et inpetrandi [12]) supra predictis vbicumque uel quandocumque super ipsis uel eorum aliquo fuerit oportunum, et etiam semel et pluries pronunciandi si nobis videbitur expedire, presentibus dictis partibus et amologantibus [13]) et confirmantibus laudum nostrum seu arbitrium supradictum.

Latum et pronunciatum fuit hoc arbitrium seu dictum [14]) per prefatos arbitros seu arbitratores, [15]) presentibus talibus, anno domini m°. etc.

d. Sentencia diffinitiua lata per iudicem ordinarium [16]) cum taxacione expensarum.

Exorta dudum inter P actorem ex vna parte et R de . . reum [17]) ex altera super quibusdam decimis materia que-

1) In B fehlt *dicimus.*
2) B: *eidem P dare debere predictum.*
3) A: *et xiii.*
4) A: *conputata.*
5) B hat hier blos: *quinquaginta marchas argenti infra proximum festum beati Michaelis reddendum.*
6) B: *pro.*
7) A: *dicto.*
8) In B fehlt *sibi.*
9) B: *renunciet.*
10) In B fehlt *sperat uel.*
11) B: *aduocatorum sapientum. P. predicta.*
12) B: *inponendi.*
13) B: *emologuantibus.*
14) B: *laudum.*
15) B fügt noch *presentes in tali loco* bei.
16) A: *delegatum,* ohne den beisatz der taxacio expensarum.
17) In A fehlt *reum.*

stionis, nos frater I permissione diuinā archyepiscopus rauennatensis [1]) ad instanciam dicti P R ipsum fecimus ad iudicium euocari. [2])

Cui R [3]) coram nobis in iudicio constituto prefatus P infrascriptum libellum obtulit: [4]) *coram vobis reuerendo patre domino I* [5]) etc.

Super quo quidem libello contestacione litis legittime facta, et iuramento calumpnie prestito sollempniter ab vtroque, productisue [6]) quibusdam testibus et [7]) instrumentis pro parte dicti P, et ipsis testibus de voluntate parcium postmodum publicatis, ipse partes — renunciantes probacionibus aliis omnibus in [8]) posterum faciendis — in ipsa causa voluntarie concluserunt.

Nos igitur, visis et diligenter inspectis predictis libello et testibus instrumentis terminis et aliis omnibus inter ipsas partes factis et habitis coram nobis, et super hiis omnibus communicato consilio peritorum, [9]) inter nos habita deliberacione sollempni, dei nomine inuocato, presentibus ipsis partibus in termino sibi dato ad hanc sentenciam audiendam, prefatum R ad dandum et soluendum eidem P decimas in predicto libello petitas et expensas legittime ob hoc factas, quarum taxacionem nobis in posterum reseruamus, in scriptis sentencialiter condempnamus.

Lata et pronunciata fuit hec sentencia per dominum archyepiscopum [10]) pro tribunali sedentem, in . . loco, presentibus . . et . . anno domini etc.

e.

Aliquando non seruatur taxacio expensarum, set statim lata sentencia iudex taxat eas, et facit actorem iurare. [11]) et tunc ita scribitur: *prefatum R ad dandum et soluendum eidem P decimas in libello petitas, et expensas legittime ob hoc factas, quas in iiii marcis steriligensibus taxamus, super quibus* [12]) *ab ipso corporale recepimus iuramentum quod tantum expenderat in hac causa* — uel sic: *quas expensas in eadem causa se fecisse iuramento de nouo prestito declarauit — in hiis scriptis* [13]) *sentencialiter condempnamus.*

1) B: *nos iudex dyocesanus ipsarum pertinet.*
2) B: *coram nobis euocari.*
3) B: *dum coram.*
4) B: *exhibuit.*
5) B: *nobis iudice predicto.*
6) B: *productis siue.*
7) B: *siue.*
8) Von hier an bis *aliis omnibus* einschliesslich fehlt in A.
9) B: *sapientum et.*
10) B: *per dictum iudicem.*
11) Dieser satz fehlt in B.
12) B: *factas in tantum super quo.*
13) B hat blos: *in scriptis.*

f. Forma taxacionis expensarum.

Olim in causa que inter P actorem ex parte vna et R reum super quibusdam decimis ex altera vertebatur nos frater I permissione diuina cantuariensis archyepiscopus tocius Anglie primas pro dicto [1]) P contra dictum R diffinitiuam sentenciam tulimus, taxacionem expensarum nobis in posterum reseruantes.

Instante vero postmodum P predicto, sepe dictum R ad videndum fieri taxacionem huius fecimus ad nostram presenciam euocari.

Ipsis igitur partibus coram nobis in iudicio constitutis, predictas expensas in iiii marcis steriligensibus [2]) presencium tenore taxamus, [3]) recipientes corporale [4]) iuramentum a P predicto quod ipsas iiii marcas in causa expenderat supradicta.

Facta fuit dicta taxacio per dictum iudicem pro tribunali sedentem, *ut superius scriptum* [5]) *est*, in loco . . presentibus . . et . . anno domini etc.

M.

Quia, si a diffinitiua sentencia non appellatur, uel appellatur et appellans non prosequatur causam appellacionis [6]) infra terminum a iure uel ab homine sibi datum, ille pro quo lata est sentencia petit interdum [7]) litteras executorias, [8]) ideo certam formam de ipsis litteris executoriis [9]) hic notabo.

Forma litterarum execucionis sentencie. [10])

Frater I etc. dilecto in Christo filio . . salutem etc.

Dudum inter P de . . loco ex vna parte et R loci eiusdem super quibusdam decimis ex altera orta materia questionis, idem P prefato R coram nobis libellum obtulit continencie infrascripte: *coram* [11]) *vobis reuerendo patre domino I* [12]) etc. *ponatur tenor libelli. demum dicatur sic:*

Super quo quidem libello lite legittime contestata, et iuramento calumpnie ac de veritate dicenda prestito sol-

1) B: *cum inter. P. de . . actorem ex parte vna et. R. de . . ex altera conuentum fuerit super quibusdam decimis. nos. I. dei gracia. etc. predicto.*
2) B: *marchis argentis.*
3) B: *mandamus.*
4) B: *corporaliter.*
5) B: *dictum.*
6) B: *uel si appellatur et appellacio non sequitur ab appellante.*
7) B: *interim.*
8) B: *exconmunicacionis.*
9) B: *de his exconmunicatoriis litteris.*
10) B: *litteras sentencie exconmunicacionis.*
11) B: *dicit et proponit coram.*
12) B: *vobis domine iudex.*

lempniter ab vtroque, ac vlterius in eadem causa secundum iuris ordinem usque ad diffinitiuam sentenciam rite processo per ea que vidimus et cognouimus, omni [1]) qua debuit deliberacione prehabita, dictum R ad dandum et soluendum decimas in premisso libello contentas et in expensis cause legittimis [2]) sentencialiter duximus condempnandum, [3]) ipsarum tamen expensarum taxacione nobis in posterum reseruata.

Quas expensas postmodum in iiii marcas steriligenses [4]) taxauimus, recipientes ab ipso P corporaliter iuramentum quod tantum in causa expenderat memorata. [5])

A qua quidem sentencia non exstitit appellatum.

Si vero appellatum fuerit, et terminus appellanti ad prosequendum appellacionem [6]) *prefixus est elapsus,* [7]) *tunc ita dicatur: qui R, licet* [8]) *a dicta sentencia* [9]) *in scripturis* [10]) *appellauerit, tamen causam appellacionis huiusmodi infra terminum ad hoc sibi datum* [11]) *est minime prosecutus.*

Si autem appellatum fuerit, et terminus non fuerit prefixus, tunc sic dicatur: qui R, licet a dicta sentencia in scripturis — uel *viua voce* — *appellauerit, tamen eandem appellacionem infra terminum sibi de iure concessum est minime prosecutus.* [12])

Vnde in rem iudicatam transiuit.

Verum quia inanis esset actio, si suo careret effectu, prefatam nostram sentenciam — dicto P petente — execucioni debite volumus demandari.

Quocirca discrecioni vestre presencium tenore conmittimus, et sub pena exconmunicacionis quam ipso facto incurrat [13]) nisi fecerit mandamus, quatenus [14]) ex parte nostra mouere [15]) ac efficaciter inducere procuretis, ut infra x [16]) dies

---

1) B: *agnouimus omnium.*
2) A: *legittime.*
3) A: *concedendum.*
4) B: *in tantum.*
5) A: *remota.*
6) B: *causam appellacionis.*
7) In A fehlt *est elapsus*, welches in B von der feineren hand eincorrigirt ist.
8) In A fehlt *licet.*
9) B: *causa.*
10) B: *scriptis.*
11) B: *terminum sibi datum a iure.*
12) Dieser ganze satz fehlt in B, woselbst von der feineren hand an den äusseren rand der ersten spalte noch bemerkt ist: *sentencia per nos lata inter dictum P et R, in qua dictum R eidem P condempnamus ad soluendum etc. et ita dicta sentencia*, offenbar an den folgenden satz anknüpfend.
13) A: *incurrerat.*
14) A und B: *fecerit quod mandamus*, wozu in B von der gröberen hand *quatinus* eincorrigirt ist.
15) In B ist *mouere* von späterer hand in *monere* verändert.
16) B: *v* mit übergeschriebenem *que.*

post monicionem vestram [1]) de predictis decimis [2]) retentis et iiii marcis expensarum nomine adiudicatis eidem P satisfaciat integre sine aliqua questione.

Alioquin eundem R, [3]) quem ex nunc prout ex tunc per presentes exconmunicamus in scriptis, si in satisfactione predicta in toto uel in parte defecerit, [4]) tamdiu per vos uel alium seu alios in ecclesia vestra seu alibi vbi expedire videritis quibuslibet diebus dominicis et festiuis in missarum sollempniis coram fideli populo publice nuncietis exconmunicatum, et nunciari [5]) faciatis, quousque prefato P tam de sorte quam expensis predictis integre fuerit satisfactum, significantes nobis fideliter vestris patentibus litteris harum seriem continentibus diem denunciacionis monicionis et formam totumque per ordinem quidquid feceritis de predictis.

Datum etc.

N.

a. Forma appellacionis per notarium conscribende.

In nomine domini amen.

Anno eiusdem etc. constitutus in presencia reuerendi patris domini I dei gracia cantuariensis archyepiscopi tocius Anglie primatis [6]) R de . . quandam appellacionem obtulit in scripturis, *siue* [7]) interposuit in hec uerba: *coram vobis reuerendo patre domino I* etc. *ponatur totus tenor appellacionis que interponitur de verbo ad verbum. deinde sic dicatur* [8]):

Lecta et interposita fuit hec appellacio et iuramentum corporaliter per dictum R, [9]) ut superius scriptum est, in tali loco, presentibus etc.

b. Qualiter et quomodo [10]) notarius de iuramento sub appellacione faciat mencionem.

Cum appellatur ab electione postulacione uel prouisione factis uel faciendis, debet appellans — expressis causis sue appellacionis [11]) — corporaliter iurare quod ea [12]) que in appellacione sua expressa sunt credit esse vera, et ea posse probare.

---

1) B: *nostram.*
2) In A fehlt *decimis.*
3) In A fehlt *eundem R.*
4) B: *deficeret.*
5) B: *denunciari.*
6) B: *presencia talis iudicis.*
7) In B fehlt: *obtulit in scripturis siue.*
8) B: *dicat notarius.*
9) In A fehlt: *per dictum R.*
10) B: *quando.*
11) In A fehlt *appellacionis.*
12) B: *postulatione facta uel facienda que in appellatione sua expressa causa sue appellationis corporaliter iurare quod in eo quod.*

Et quia talem mencionem sic factam de iuramento huiusmodi per appellacionem in libello appellatorio credunt sufficere notarii minus cauti, nil aliud [1]) de dicto iuramento conscribunt. [2]) et sic postmodum appellaciones nil valent, nisi per testes iuretur [3]) sic esse iuratum. [4]) oportet igitur, ut notarius rectificet, et dicat in sua scriptura, quod appellans iurauit, [5]) sicut superius scriptum est in forma appellacionis premissa. [6]) uel in fine appellacionis ante publicacionem testium dicat notarius sic: *qui R lecta dicta appellacione iurauit corporaliter* [7]) *ad sancta dei ewangelia, se credere premissa omnia esse vera, et ea posse probare.*

c.

Quia sepe contingit appellaciones interponi sine notario publico coram autenticis personis, quorum sigillis appellaciones huiusmodi roborantur, [8]) expedit ut forma que teneri debet in appellacionibus huiusmodi subsequatur.

Forma appellacionis sine notario interiecte.

Vniuersis presentes litteras inspecturis salutem in domino.

Noueritis, quod constitutus in presencia nostra R de.. quandam appellacionem in scriptis interposuit sub hac forma [9]): *coram vobis reuerendo patre domino I dei gracia* [10]) etc. *ponatur totus tenor appellacionis. in fine sic dicatur:*

Qua quidem appellacione sic interposita, predictus R iurauit corporaliter [11]) ad sancta dei ewangelia, se credere premissa omnia vera esse, et ea posse probare.

In cuius rei testimonium presentes litteras exinde confectas sigillo nostro fecimus roborari.

Datum in tali loco, presentibus etc. testibus [12]) qui premissis omnibus presentes fuerunt, [13]) anno domini etc.

d.

Appellatur aliquando a sentencia viua voce. que appellacio in fine sentencie a qua appellatur sub breuiloquio

---

1) B: *cauti alius.*
2) A: *et scribunt.* B: *conscribuntur.*
3) B: *probent.*
4) A: *probatum.*
5) Von *oportet* an fehlt in A.
6) In A findet sich hier noch: *ut in fine appellacionis premissa.*
7) In B fehlt *corporaliter.*
8) B: *post modum roborantur.*
9) B: *interposuit in hec uerba.*
10) B: *uobis domino iudice.*
11) In B fehlt *corporaliter.*
12) B: *presentibus talibus.*
13) B: *omnibus et singulis interfuerunt.*

scribitur in hunc modum: *a qua quidem sentencia statim pronunciata et lecta per prefatum R exstitit appellatum viua voce.*

e.

Cum appellatur a grauamine, consueuerunt interdum iudices a quibus appellatur talia uerba dicere appellanti: *non credo te grauasse in aliquo. set si te grauaui in aliquo* [1] — *quod non credo — paratus sum reuocare grauamen* [2] *de consilio sapientum, et ex nunc quantum in me ipsum* [3] *reuoco, si apparuerit te grauasse. et prefigo tibi terminum viii dierum ad ostendendum grauamen quod per me asseris tibi illatum.* [4]

Que verba faciunt aliqui [5] iudices maleficiose, ut [6] appellacio anulletur, in [7] fine appellacionis in hunc modum scribi: *ad quam appellacionem dictus iudex respondit: non credo te grauasse etc. ut supra.* set hodie talis responsio in romana curia reprobatur.

Ego autem, quia responsio seu verba predicta non pertinent ad appellantem, set [8] ad appellatum, presertim cum dicta sint ipsa verba ad appellacionem infringendam, [9] non credo conueniens esse quod in instrumento appellacionis ponantur sicut superius dictum est. et ideo de ipsis verbis seu de ipsa responsione sic facta fiat [10] per se publicum instrumentum sub hac forma:

In nomine domini amen. anno eiusdem a natiuitate etc.

Cum R de.. quandam appellacionem interposuerit a venerabili viro domino .. pro [11] *eo quod quandam suam excepcionem* [12] *admittere recusauit, scriptam manu nostri* [13] *notarii infra scripti anno et die premissis,* [14] *idem iudex ad dictam appellacionem respondit: non credo te grauasse in aliquo. set si* [15] *grauaui etc. ut supra.*

Actum in.. loco, presentibus.. et.. testibus.

f.

Cum iudex defert appellacioni, tunc notarius in fine appellacionis ita dicat: *cui appellacioni dictus iudex ob reuerenciam sedis apostolice duxit* [16] *humiliter deferendum.*

---

1) B: *et si grauaui.*
2) In B fehlt *grauamen.*
3) B: *in me est.*
4) B: *asseris agrauatum.*
5) B: *aliquando.*
6) B: *prout.*
7) B: *solet in.*
8) In B fehlt *ad appellantem set.*
9) B: *insurgendam.*
10) A: *facto.* B: *faciat.*
11) B: *domino I dei gracia etc. pro.*
12) In A fehlt: *suam excepcionem.*
13) B: *mei.*
14) B: *anno etc. presens etc.*
15) B: *grauasse aliquo modo et si.*
16) B: *dixit.*

g.

Quoniam appellacio interposita extra iudicium debet denunciari illi contra quem interponitur, de qua notificacione fit publicum instrumentum, necessarium est tradi de huiusmodi certificacionibus certam formam.

α. Notificacio appellacionis.

In nomine domini amen.

Anno eiusdem etc. R de . . constitutus in presencia P loci eiusdem coram me notario et testibus infra scriptis[1]) denunciauit seu notificauit eidem P, se quandam appellacionem in scriptura[2]) interposuisse a quadam sentencia, lata per reuerendum patrem dominum I dei gracia cantuariensem archyepiscopum[3]) contra ipsum R pro ipso P in causa quam idem P[4]) mouet seu mouere intendit eidem R super.. re, scriptam[5]) manu[6]) mei notarii infrascripti, *uel* talis[7]) notarii publici.

Cuius appellacionis tenor talis est: *coram vobis reuerendo patre domino I dei gracia*[8]) etc. *et ponatur totus tenor appellacionis. deinde sic dicatur:*

Quam quidem appellacionem seu eius copiam idem R prefato P presencialiter tradidit, prefigens sibi ipsi[9]) terminum duorum mensium a die interposite[10]) appellacionis predicte ad conparendum in romana curia cum omnibus actis et munimentis[11]) suis ad sequendum[12]) causam appellacionis predictam, necnon denuncians ei ut in dicto termino in curia romana compareat, coram eo in causa huiusmodi processurus.

β.

Non autem instrumento notificacionis prefixio termini[13]) semper apponitur, set[14]) tunc tantum cum a iudice[15]) uel a parte non est terminus in appellacione prefixus. nec necesse est quod ponatur, nisi de propria voluntate fuerit appellantis, quia persepe sine prefixione alicuius termini appellatur.

1) B hat blos: *constitutus coram nobis.*
2) B: *scriptis.*
3) B: *per talem iudicem et.*
4) In B fehlt: *in causa quam idem P.*
5) A hat *scriptr* mit dem abkürzungsstriche über dem *r.*
6) B: *super rescripta manu.*
7) In B fehlt *talis.*
8) B: *uobis domine.*
9) In B fehlt *ipsi.*
10) B: *interpositionis.*
11) B: *instrumentis.*
12) B: *et ad prosequendum in.*
13) B: *autem in dicto termino sibi prefixo instrumento notificationis.*
14) A: *et.*
15) B: *tunc cum iudice.*

O.

Forma appellacionis et ipsius notificacionis tradita, quia post appellacionem conceduntur interdum a iudice apostoli qui in appellacione petuntur, ideo subsequenter de ipsis apostolis est videndum.

a. De litteris que apostoli seu dimissorie littere nuncupantur.

Cum appellatur ab aliquo delegato uel ordinario iudice, siue [1]) a diffinitiua sentencia siue ab interlocutoria, iudex tenetur apostolos concedere appellanti.

Et tunc notarius, si a delegato iudice conceduntur, debet totum tenorem litterarum delegacionis in litteris ipsis inserere, et de processu cause sub breuiloquio mencionem facere, [2]) ut in proxima forma notabo.

Si vero ab interlocutoria uel aliquo [3]) grauamine appellatur ex aliqua ficta causa, et iudex appellacioni non deferat pro eo quod falsam [4]) continet, tunc tenor [5]) appellacionis est in dictis litteris inserendus, et etiam vtrum detulerit iudex appellacioni uel non. et consueuit iudex se in talibus litteris excusare pro [6]) eo quod appellacioni non detulerit, [7]) sicut inferius in secunda forma conscribam, [8]) et causam quare non detulit assignare. [9])

b. Forma apostolorum cum appellatur a grauamine per iudicem delegatum. [10])

Sanctissimo in Christo patri domino M [11]) sacrosancte romane ecclesie summo pontifici G archydiaconus lewenensis, [12]) in infrascripta causa iudex a sede apostolica delegatus, pedum oscula beatorum.

Placuit sanctitati vestre, causam quam P de tali loco mouebat seu mouere intendebat [13]) R de tali loco super canonicatu ecclesie [14]) mihi conmittere sub hac forma: *Martinus etc.*

---

1) Von hier an bis *iudex* einschliesslich fehlt in B.
2) B: *ut de processu tunc faciat sub breuiloquio mentionem.*
3) B: *alio.*
4) B: *falsam causam.*
5) A: *cum tenore.*
6) B: *de.*
7) B: *detulit.*
8) A: *conscribenda.* B: *subscribam.*
9) B: *appellanti.*
10) B: *forma apostolorum super appellatione interposita a iudice delegato.*
11) B: *sanctissimo patri domino I.*
12) B: *lugdunensis.*
13) B: *mouet seu mouere intendit contra.*
14) B: *canonicatu et prebenda ecclesie talis.*

In qua quidem causa litis contestacione facta legittime, ac iuramento calumpnie et de veritate dicenda prestito sollempniter ab vtroque, factisque hinc inde posicionibus, et ad eas responsionibus subsecutis, receptis etiam probacionibus omnibus quas ipse partes hinc inde facere voluerunt, dei nomine inuocato, contra dictum R iuste ut credo, seruato iuris ordine, diffinitiuam sentenciam promulgaui.

A qua dictus R ad vestre sanctitatis sedem [1]) appellauit in scriptis, petens instanter apostolos sibi dari.

Cui appellacioni ob reuerenciam sedis apostolice detuli reuerenter, et prefatum R ab examine meo dimittens [2]) ipsum ad pedes sanctitatis vestre transmitto [3]) cum presentibus apostolis seu dimissoriis litteris, sigilli mei [4]) munimine roboratis, prefixo sibi termino peremptorio duorum mensium a die appellacionis interposite conputando, infra quem per se uel [5]) procuratorem ydoneum ad causam ipsam sufficienter instructum cum omnibus instrumentis actis et munimentis suis vestro se conspectui representet, prosecuturus causam [6]) appellacionis huiusmodi ut fuerit ordo iuris.

Datum etc.

c. Forma apostolorum cum appellatur a grauamine per iudicem delegatum illato. [7])

Sanctissimo in Christo patri domino M sacrosancte romane ecclesie summo pontifici etc.

Olim sancte memorie (*uel* felicis recordacionis) dominus Nycolaus papa iii, predecessor vester, [8]) causam quam P de tali loco mouet seu mouere intendit R [9]) super . . re mihi sub hac forma conmisit: *Nycolaus etc.*

In qua quidem causa cum domino R super tali re peremptorium terminum ad proponendum [10]) omnes excepciones dilatorias et declinatorias assignassem, ipse R in termino sibi dato quasdam excepciones presentibus interclusas proposuit. quas cum friuolas reputarem, [11]) eas habito consilio peritorum plurium [12]) non admisi.

Propter quod idem R appellauit [13]) ad sedem apostolicam sub hac forma: *coram vobis venerando viro domino G etc.*

---

1) B: *ad sedem apostolicam.*
2) B: *deinde.*
3) B: *remitto.*
4) B: *nostri.*
5) B: *uel per alium.*
6) B: *processurus in causa.*
7) B hat hier schon das nächstfolgende rubrum.
8) B: *noster.* A: *precedentis nostre.*
9) B: *contra R.*
10) B: *terminum apponendi.*
11) B: *reputo.*
12) B: *quam plurimum.*
13) B fügt *in scriptis* bei.

Cui appellacioni non detuli, cum eidem de iure non[1]) crediderim deferendum.

Set cum instanter apostolos peteret, has dimissorias litteras sibi dedi,[2]) sigilli mei[3]) munimine roboratas, prefingens sibi terminum ut[4]) infra duos menses a die appellacionis interposite conputandos per se uel procuratorem[5]) ad totam causam sufficienter instructum cum omnibus instrumentis actis et munimentis suis vestro se conspectui representet, facturus super hoc quod sibi[6]) vestra sanctitas duxerit iniungendum etc.

d. Forma apostolorum cum appellatur ab ordinario et non defertur appellacioni.[7])

Sanctissimo[8]) in Christo patri domino etc. frater I permissione dei[9]) etc.

Sanctitati vestre notifico, quod — cum in causa appellacionis ad[10]) me interposite pro parte dicti R de tali loco ab officiali venerabilis patris domini londoniensis[11]) episcopi super questione que inter ipsum R ex vna parte et P loci eiusdem super . . ecclesia[12]) ex altera parte vertitur seu verti speratur, iuris ordine seruato, procederem[13]) — dictus P, falso fingens me sibi dicte appellacionis et aliorum actorum copiam denegare, in scriptis appellauit ad sedem apostolicam sub hac forma: *coram vobis reuerendo patre* etc. prefingens sibi et aduersario predicto peremptorium terminum . . mensium,[14]) a die appellacionis interposite conputandum, ad conparendum per se uel procuratorem ydoneum, ad agendum et defendendum super tota causa sufficienter instructum, ita quod — si[15]) sanctitati vestre videbitur expedire — finito[16]) appellacionis articulo, uel de partium voluntate omisso,[17]) procedere valeant in negocio principali, cum omnibus instrumentis actis et muni-

---

1) B hat blos: *cum non.*
2) B: *cum instancia has dimissorias peteret litteras seu apostolos sibi reddi.*
3) B: *nostri.*
4) In A fehlt *ut.*
5) B: *uel per alium procuratorem ydoneum.*
6) In B fehlt *sibi.*
7) Hiefür hat B das vorhergehende rubrum ohne das schlusswort *illato.*
8) B: *summo.*
9) B: *frater miseracione.*
10) B: *a me.*
11) B: *lugdonensis.*
12) B: *super quadam ecclesia.*
13) A: *procedentem.* B: *procedente.*
14) B: *trium mensium.*
15) In B fehlt *si.*
16) B: *facturo.*
17) A: *omissa.* B: *promisso.*

mentis suis nostro[1]) se conspectui representent, prosecuturi causam huiusmodi, ut fuerit ordo iuris.

Cui appellacioni non detuli, quia non credidi deferendum,[2]) cum in veritate a me nunquam petita fuerit copia supradicta, et etiam cum statim post appellacionem ipsam copiam sibi obtulerim[3]) et instanter.

Verum cum apostolos postularet, has dimissorias sibi litteras dedi, sigilli mei[4]) munimine roboratas.

Datum etc.

e.

Cum autem appellatur a suffraganeo ad metropolitanum, eadem[5]) est forma — mutata salutacione — tenenda.[6])

P.

Quoniam litigantes interdum[7]) tam in iudicio quam extra iudicium protestari coguntur, expedit ut de ipsis protestacionibus aliquid subsequatur.

a. Forma instrumenti protestacionis.

Robertus de tali loco, constitutus ante hostium camere[8]) domini . . cantuariensis archyepiscopi apud talem locum, rogauit hostiarium camere supradicte ut[9]) plures alios clericos et familiares ipsius domini archyepiscopi[10]) astantes ibidem, ut permitterent ipsum R adire dominum archyepiscopum supradictum,[11]) pro eo quod prefixus fuit eidem R terminus peremptorius a magistro B decano[12]) de arcubus ad conparendum coram ipso domino archyepiscopo, ad[13]) procedendum in causa que vertitur seu verti speratur inter ipsum R ex vna parte et P de tali loco super quibusdam decimis ex altera.

Et quia predictus hostiarius et familiares non permiserunt dictum R intrare ad dominum archyepiscopum supradictum,[14]) asserentes ipsum dominum archyepiscopum esse pluribus et variis negociis prepeditum,[15]) ideo dictus R coram me notario et testibus infrascriptis protestatus est

---

1) B: *uestro.*
2) B: *credo deferendum esse.*
3) B: *statim ipsius appellationis copiam obtulerim.*
4) B: *nostri.*
5) B: *ipsa.*
6) B: *reuerenda.*
7) In B fehlt *interdum.*
8) In B fehlt *camere.*
9) B: *et.*
10) In B fehlt *archyepiscopi.*
11) B: *ipsum audire dominum predictum.*
12) A: *magistro de Camera.*
13) B: *et.*
14) B: *dominum antedictum.*
15) B: *inpeditum.*

quod ipse paratus est conparere coram dicto domino archyepiscopo, et procedere in dicta causa, et facere omnia que facere de iure tenetur, et quod tempus non currat[1]) ei, cum per eum non stet quin predicta omnia faciat, set quia non potest habere copiam domini archyepiscopi supradicti.

Actum in tali loco, presentibus talibus.

b.

Preterea cum quis impetrat litteras apostolicas ad aliquem iudicem delegatum, et ipsius iudicis copiam habere non potest, oportet ipsum saltim infra annum[2]) a die date littere protestari. que protestacio ita fieri consueuit.

Alia forma protestacionis.

In nomine domini amen.

Anno eiusdem etc. R de . . constitutus in domo venerabilis viri magistri G archydiaconi lewenensis,[3]) domini pape iudicis delegati, ut presentaret eidem domino archyepiscopo[4]) quasdam litteras apostolicas per ipsum R ad ipsum dominum archyepiscopum[5]) impetratas, quarum litterarum tenor talis est: *Martinus episcopus seruus seruorum dei. ponatur totus tenor litterarum. demum dicatur sic*:

Et quia copiam ipsius domini archyepiscopi habere non poterat, protestatus fuit idem R[6]) instanter quod paratus erat dictas litteras presentare, et prenominatos aduersarios citari facere, et omnia integraliter exercere ut[7]) tenetur, et quod[8]) ex nunc in predictis tempus sibi non occurrat, cum per eum non stet quin predicta omnia faciat, set quia non potest habere copiam sui iudicis predicti.

Actum etc.

V.

Viso de hiis que in iudicio frequentantur, nunc de transscriptis et quibusdam aliis aliquando necessariis notario que fiunt extra iudicium annotabo.

1. Qualiter transscribi debeant tam littere apostolice quam instrumenta ut sui autentici robur obtineant firmitatis.[9])

In nomine domini amen.[10])

1) A: *quod ipse non curat.*
2) In B fehlt *infra annum.*
3) B: *uiri domini archidiaconi lugudunensis.*
4) B: *eidem iudici.*
5) B: *ipsum iudicem.*
6) A: *idem rector.*
7) B: *que.*
8) In B fehlt *quod.*
9) In B fehlt *firmitatis.*
10) Diese eingangsformel fehlt in B.

Vniuersis transscriptum[1]) publicum inspecturis I permissione diuina etc.

Constitutus in presencia nostra R, procurator abbatis et conuentus monasterii sancti Augustini cantuariensis,[2]) procuratorio nomine pro eisdem[3]) humiliter petiit, ut quasdam litteras eidem abbati et conuentui[4]) a felicis recordacionis domino N[5]) papa iii concessas, quarum litterarum tenor[6]) propter carte[7]) vicium — *uel* propter vetustatem ipsius,[8]) *uel* pro eo quod ipse littere balneate fuerunt — incipit[9]) iam deleri, deberemus inspicere, et inspectas transscribi facere, ac ipsum transscriptum auctoritate nostra et sigilli nostri munimine roborari.

Quarum litterarum tenor talis est: *Nycolaus episcopus seruus seruorum dei* etc. *ponatur totus tenor litterarum.*[10]) *postmodum dicatur sic:*

Nos igitur quia prefatas[11]) litteras diligenter inspeximus, et inspectas[12]) vidimus non cancellatas non rasas non abolitas nec viciatas in aliqua parte sui, set bulla plumbea[13]) et filo canapis — *uel* corda serica[14]) — more curie romana bullatas, ideo presens transscriptum ex eis sumptum[15]) et coram nobis vna cum infrascriptis notario et testibus sollempniter auscultatum[16]) auctoritate nostra et sigilli nostri munimine duximus roborandas.

Ego notarius . . prenominatas[17]) litteras vidi non cancellatas non rasas non abolitas nec viciatas in aliqua parte sui, set vera bulla[18]) ut dictum est more romane curie bullatas, easque in presenti transscripto de verbo ad verbum — nil addens nil minuens quod sensum mutet uel viciet[19]) intellectum — transscripsi, et fideliter[20]) transscriptum ad easdem postmodum vna cum talibus clericis uel laicis testibus[21]) presente domino archyepiscopo[22])

---

1) B: *presens transscriptum.*
2) B: *procurator talis domini.*
3) B: *eodem.*
4) B: *eidem domino.*
5) B: *Nicholao.*
6) B: *que littere.*
7) B: *quarte.*
8) B: *ipsarum.*
9) B: *incipiunt.*
10) In B fügt die feinere hand hiezu noch bei: *de verbo ad verbum.*
11) B: *nos autem qui predictas.*
12) In B fehlt *inspectas.*
13) B: *set uera bulla.*
14) B: *uel cirico.*
15) B: *assumptum.*
16) B: *abscultatum.*
17) B: *prenotatus.*
18) B: *bulla plumbea.*
19) B: *uiciet uel minuet.*
20) B: *transscripsi fideliter et presens.*
21) B: *cum tali et clericis uel litteratis.*
22) B: *presente dicto iudice.*

diligenter auscultaui, [1]) meoque signo [2]) et nomine roboraui.

Actum Londonii, anno domini a natiuitate m.° cc.° etc.[3])

2. Forma transscribendi que conmuniter seruatur in curia romana.

Vniuersis presens transscriptum publicum inspecturis frater I etc.

Noueritis, nos vidisse ac de verbo ad verbum diligenter[4]) legisse quasdam litteras sanctissimi patris domini Martini pape iiii, non[5]) cancellatas non[6]) viciatas in aliqua parte sui, set vera bulla plumbea et filo canapis more curie romane[7]) bullatas, tenoris et continencie infrascripte: *Martinus episcopus seruis seruorum dei etc.*

Uel sic: noueritis, nos vidisse etc. quoddam instrumentum publicum, scriptum manu talis notarii, non cancellatum non abrasum non abolitum nec viciatum in aliqua parte sui, cuius tenor talis est: *anno domini etc.*[8])

In cuius rei testimonium presens transscriptum[9]) per infrascriptum notarium publicum[10]) fieri mandamus,[11]) ipsumque auctoritate nostra et sigilli nostri munimine roborandum.[12])

Ego talis[13]) notarius predictas litteras — *uel* prenominatum instrumentum — non viciatum ut predictum est vidi, ipsumque in presenti[14]) — nil addens nil minuens quod sensum mutet uel viciet intellectum — transscripsi fideliter de mandato domini archyepiscopi supradicti, ipsum transscriptum cum dicto eius autentico diligenter postmodum auscultaui,[15]) meoque signo et nomine roboraui.

Actum apud Londonium.[16])

3. Forma transscribendi[17]) procuratorium exhibitum in iudicio.

Hec est copia cuiusdam procuratorii exhibiti[18]) in iudicio per infrascriptum procuratorem in[19]) causa que ver-

1) B: *abscultaui.*
Von der feineren hand ist hiezu an den leeren mittelraum zwischen den spalten bemerkt: *et in forma publica transscripsi, meoque.*
2) B: *signo signaui.*
3) Dieser schlusssatz fehlt in B.
4) B: *libenter.*
5) B: *domini M pape non.*
6) B: *cancellatas non obolitas nec.*
7) B: *more solito.*
8) B: *in nomine domini amen etc. et ponatur totus tenor instrumenti.*
9) B: *presentes litteras.*
10) In B fehlt *publicum.*
11) B: *mandauimus.*
12) B: *duximus roborandum.*
13) B: *ego uero.*
14) B fügt noch *transcripto* bei.
15) B: *abscultaui.*
16) B: *actum in tali loco etc.*
17) B: *scribendi.*
18) B beginnt hier: *exhibito procuratorio.*
19) Von hier an bis *procuratorem* ist in A ausgefallen.

titur seu verti speratur inter dominum . . et eius procuratorem ex parte vna et P de tali loco super tali re ex altera coram . . iudice.

Cuius tenor talis est. *ponatur tenor tocius procuratorii, siue instrumentum publicum siue littera sit.*

Si est instrumentum publicum, scribatur subscripcio notarii de verbo ad verbum.

Si est littera, describatur[1]) *sigillum in hunc modum:* quod procuratorium vallatum erat sigillo[2]) predicti constituentis, prout littere aperte scripte[3]) aperte dicebant, *uel* prout dictus eius[4]) aduersarius in iudicio recognouit, *uel* prout dictus procurator per duos testes in continenti probauit.

Ego talis notarius[5]) presentem copiam, prout in dicto instrumento, *uel* prout in dictis litteris sigillatis, ut dictum est inueni, ita — nil addens nil minuens quod sensum mutet — de mandato dicti domini archyepiscopi fideliter scripsi, et postmodum scriptum diligenter auscultaui, meoque signo[6]) et nomine roboraui.

4.

Quandoque[7]) perditur instrumentum debiti, et[8]) iudex causa cognita mandat notario qui instrumentum, perditum fecerat, ut ipsum instrumentum faciat iterato.

In quo casu notarius debet facere dictum instrumentum de verbo ad verbum sicut prius fecerat.

Postmodum scribat notarius secundum modum solitum.

Demum sic dicat: *et licet alias predictum*[9]) *instrumentum fecerim, ipsumque creditori tradiderim supradicto, quia creditor ipse constitutus coram tali iudice iurauit se dictum instrumentum amisisse, idem iudex de consensu dicti debitoris ibidem presentis mandauit mihi notario infrascripto, ut instrumentum ipsum iterato facerem, ipsumque dicto traderem creditori.*

Actum in tali loco. presentibus talibus etc. anno domini etc.

VI.

Quia sepe dominus papa scribit archyepiscopis et episcopis, ut cum aliquo clerico eorum[10]) subdito super defectu natalium apostolica[11]) auctoritate dispensent, expedit ut super dispensacione huiusmodi aliqua forma detur.

---

1) B: *scribatur.*
2) In A fehlt *sigillo.*
3) A: *sculpte.* B: *littere in eo scripte.*
4) B: *uel ut dictus.*
5) In B fehlt *talis notarius.*
6) B: *signo signaui.*
7) B: *quandocunque.*
8) B: *et tunc.*
9) A: *perditum.*
10) B: *eisdem.*
11) B: *ipsa.*

Qualiter archyepiscopus uel episcopus cum suo subdito super defectu natalium debeat dispensare.[1]

Frater I permissione diuina etc. dilecto in Christo filio P clerico salutem in domino sempiternam.

Litteras sanctissimi patris domini Martini iiii pro te recepimus sub hac forma: *Martinus episcopus seruus seruorum dei* etc.

Pensatis hiis igitur diligenter[2] omnibus que nobis in dictis litteris demandantur, ut[3] ipsarum circumstanciis sollempniter inquisitis, quia per nos diligenter examinatus[4] tam de ydoneitate persone quam de conpetenti litteratura vita conuersacione aliisque meritis ydoneus es repertus, tecum quo ad sacros ordines promoueri et beneficium ecclesiasticum obtinere valeas, etiam si curam habeat animarum, defectu[5] non obstante huiusmodi, iuxta tenorem dictarum litterarum auctoritate apostolica dispensamus.

In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus[6] apponendum.

VII.

Contingit[7] sepe[8] quod archyepiscopi et episcopi concedunt litteras indulgenciarum[9] hospitalibus et aliis piis locis.

In quo casu notarius scire debet que vtrisque[10] scribenda eueniant, ut — cum leguntur et ostenduntur in publico indulgencie sic concesse — nec concedentes nec[11] eas scribentes possint in aliquo reprehendi.

Igitur super huiusmodi indulgenciis aliquas formas scribam, quibus habitis leuius notarius poterit ad scribendum ceteras alias informari.

1. De indulgenciis pro festiuitate virginis gloriose.[12]

Vniuersis Christi fidelibus per prouinciam cantuariensem constitutis frater I etc. salutem in domino sempiternam.

Gloriosus deus in sanctis suis, in ipsorum glorificacione gaudens,[13] in veneracione[14] beate Marie semper virginis

---

1) B: *subdito dispensat.*
2) B: *libenter.*
3) B: *et.*
4) In B fehlt *examinatus.*
5) B setzt noch *natalium* bei.
6) B: *iussimus.*
7) B setzt hier die überschrift *de indulgenciis rubrica* voran.
8) B: *interdum.*
9) B: *indulgencie.*
10) A: *vtriusque.* B: *utrique.*
11) B: *ut.*
12) B: *indulgencia pro uirginibus.*
13) A: *gaudentes.* B: *gaudetis.*
14) A: *narratione.*

eo iocundius delectatur quo ipsa utpote mater eius effecta meruit altius sanctis ceteris in celestibus collocari.

Cupientes igitur, ut ecclesia de tali loco, que ipsius gloriose virginis est insignita vocabulo, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis qui ad dictam ecclesiam in festo assumpcionis ipsius beatissime virginis causa deuocionis accesserint annuatim[1]) — de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi — c dies de iniuncta sibi penitencia misericorditer relaxamus.

Datum Londonii vi idus aprilis anno domini m.° cc.° lxxxiii, consecracionis nostre anno ii.[2])

2. Indulgencia pro festiuitate[3]) alicuius sancti in cuius honore ecclesia est fundata.

Frater I etc. dilecto in Christo filio rectori ecclesie de tali loco[4]) salutem et sinceram in domino karitatem.

Sanctorum meritis[5]) inclita gaudia fideles Christi assequi minime dubitamus. qui eorum patrocinia per digne deuocionis obsequia[6]) promerentur, illum quoque venerantur in ipsis quorum gloria ipse est et retribucio meritorum uel premiorum.[7])

Nos igitur ad prosequenda[8]) predicta gaudia causam dare fidelibus cupientes, omnibus vere penitentibus et confessis qui ad ecclesiam tuam predictam in festo beati Hermanni,[9]) in cuius est ut asseris[10]) honore fundata, et vii diebus festum illud inmediate sequentibus cum deuocione ac reuerencia visitauerint annuatim — de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius ac gloriosi Thome martiris auctoritate confisi — xl[11]) dies de iniuncta sibi penitencia misericorditer relaxamus.

Datum etc.

3. Forma[12]) pro pauperibus monialibus.[13])

Vniuersis Christi fidelibus per prouinciam cantuariensem constitutis frater I[14]) etc.

---

1) In B fehlt *annuatim.*
2) B hat blos: *datum in tali loco die anno etc.*
3) B: *festo.*
4) B: *dilecto etc.*
5) B: *merita.*
6) B: *pro digne retributionis obsequio.*
7) In B fehlt *uel premiorum.*
8) B: *consequenda.*
9) B: *Remigii.*
10) B: *asseritur.*
11) B: *concessi. xv.*
12) B: *indulgencia.*
13) An den rand dieses musters ist in B von der feineren hand noch hinbemerkt: hec forma probatur X de penitenciis et remissionibus c. *cum ex eo.*
14) B: *constitutus talis prelatus.*

Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, siue bonum fuerit siue malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus preuenire, ac eternorum intuitu seminare in terris quod reddente domino multiplicato fructu recolligere debeamus[1]) in celis, firmam spem fiduciamque tenentes quoniam qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet vitam eternam.

Cum igitur dilecte[2]) in Christo filie . . abbatissa et conuentus monialium sancti . . de tali loco dyocesis cantuariensis,[3]) que spretis mundanis illecebris elegerunt famulari domino in abiectione[4]) voluntarie paupertatis, non habeant vnde viuant, nisi a Christi fidelibus subueniatur eis, vniuersitatem vestram rogamus et hortamur in domino, in remissionem[5]) vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis collatis a domino pias ad hec elemosinas et grata eis karitatis subsidia erogetis, ut per subuencionem vestram earum inopie consolentur,[6]) et vos per hec et alia bona que domino inspirante feceritis ad eterna possitis felicitatis[7]) gaudia peruenire.

Nos enim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius ac gloriosi Thome martiris auctoritate confisi,[8]) omnibus vere penitentibus et confessis qui eis ad hec[9]) manus porrexerint karitatis xl dies de iniuncta eis penitencia misericorditer relaxamus.

Has vero litteras mitti per questuarios[10]) inhibemus, eas — si secus actum fuerit — carere viribus decernentes. Datum etc.

4. Indulgencia pro ponte construendo.[11])

Vniuersis Christi fidelibus per ciuitatem et dyocesim cantuariensem constitutis frater I permissione diuina[12]) etc.

Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus etc. *ut supra.*

Cum igitur dilectus filius N, lator presencium, in strata publica pontem constituere[13]) seu reficere ad transeuntium

1) B: *domino recolligere ualeamus.*
2) In B fehlt *dilecte.*
3) B: *abbatissa moniales sancti Benedicti de tali loco talis dyocesis.*
4) B: *obiectione.*
5) B: *ortamur in requisitionem.*
6) B: *inopia consulatur.*
7) In B fehlt *felicitatis.*
8) B: *concessi.*
9) In B fehlt *ad hec.*
10) B: *meriti per questionarios.*
11) B: *instruendo uel reparando.*
12) B: *dyocesim de reato constitutis talis prelatus.*
13) B: *construere.*

opus intendat, nec ad id proprie suppetant facultates, vniuersitatem vestram rogamus et hortamur [1]) in domino, in remissionem vobis [2]) peccaminum iniungentes, quatenus — cum ipse uel eius nuncii ad vos beneficia petituri accesserint — pias eis ad hoc elemosinas et grata subsidia [3]) erogetis, ut per subuencionem vestram opus inceptum consummare [4]) valeat, et vos per hec et alia etc. *ut supra in proximo vsque ad* relaxamus. *tunc dicatur*: [5]) presentibus post triennium [6]) minime valituris.

5.

Eodem modo scribi potest pro ecclesia reparanda. incipe [7]) ut supra, et continua vsque ad locum vbi dicitur: *cum igitur.* tunc dicatur:

Cum igitur dilectus in Christo filius P rector ecclesie de tali loco prefatam ecclesiam, que ex nimia sui vetustate ruebat, reparare proponat, nec ad id proprie suppetant facultates, vniuersitatem vestram etc. ut supra in proxima indulgencia.

6. Pro hospitali.

Vniuersis Christi fidelibus per cantuariensem prouinciam constitutis frater I etc.

Si iuxta sententiam sapientis inter [8]) tempus seminandi discernimus et metendi, seminare debemus in terris quod cum multiplicato fructu recolligere valeamus [9]) in celis.

